47972

DE PERIPNEVMONIA

QVÆSTIO MEDICA.

Pro Loco inter Excellentiſsimos Medicinæ Doctores, & Profeſſores, in Celeberrima Academia Cracouienſi, obtinendo.

PVBLICE

A PETRO MVCHARSKI,
Artium Liberalium Magiſtro, Philoſophiæ & Medicinæ Doctore, S. R. M. Phyſ. Med.

PROPOSITA.

Decidetur, & diſputabitur in Collegio Maiori, Diui IAGIELLONIS, Lector. DD. Theolog.

Sub felicibus Auſpicijs

Magnifici & Adm. Reuerendi Domini,

D. STANISLAI ROZYCKI,
I. V. Doctoris, & Profeſſoris,

Almæ Vniuerſitatis, Studij Generalis Cracouień.
RECTORIS VIGILANTISSIMI.

Die 14. Menſis Octob. Hora 13.

Merces acaDemiCi Laboris.

CRACOVIÆ, *Apud Chalcographum Regium Franciſcum Ceſarium.*

In Stemma Illustrissimi Ducis Ostrogiæ.



EOâ vertex gemmâ, rutilusque pyropis,
Regali sobolem stirpe, Domoque, notat.
Claros, Astra Duces, geminis armata Sarissis,
Hostiles acies, perdomuisse, docent.
Intrepidos, Cataphractus Eques, dextrâque paratos,
Et quêis cesserunt aspera cuncta, probat.
Crux, Fidei, multùm Sacras veneratur, acerras,
Hinc radiare polo, vultque placere, solo.
Symbola, VLADISLAE, Ducum, spes vnica, cernis,
OSTROGIÆ, Tua sunt; illa tuêre potens.

Ludouicus Petrus Mucharski, Canon. Iarostauień.
S. Th. in Acad. Crac. Auditor.

Illustrissimo & Celsissimo

P R I N C I P I,

Domino, Domino

VLADISLAO DOMINICO,

Duci in Ostrog, & Zásław, Comiti in Tarnow.

PALATINO CRACOVIENSI,

Domino & Patrono Clementissimo,

S. & F.

AD Te tandem, Illustrissime Princeps, Palatine Cracouień. hæc mea Quæstio pertinebat, quæ in Amplissimo sapientissimorum Virorum Areopago, more auito, publicæ velitationi exhibita, frustra quæreret alienis armari auspicijs, nisi Te reperisset. Felix illa: quia Phœnicem Principum Polonorum, nacta est Protectorem? Errare in tam abstrusis naturæ labyrinthis suo ductu haud poterit, quæ missis Thesei, vel Ariadnæ fabularum ambagibus, Te vnicum viæ, vitæq; inuenit, Ducem.

Enimuerò, antiquitatem Prosapiæ ego alibi, quærerem præter Te? ecquam vetustiorem inueniam OSTROGIANIS *&* ZASLAVIANIS DVCIBVS? *qui, ne antiqua illa, & ipsa vetustate maiora repetamus, Potentissimis Russiæ (quæ longè latèq; patet) vniuersæ, Principibus orti, eadem cum Lecho, Czechoq; nostratibus, appellant principia. Merita in Rempublicam præstantiora, & vberiores laudum apparatus, extra Familiam Tuam, indagarem! quæ (absit verbis inuidia) à primis statim nascentis Poloniæ incunabulis, Septemtrionalem hanc suo cognatam polo, Poloniam, quà sagacitate Consi, quà armata Bellonæ fortitudine, illustrabant abundè. Magnificentiam alibi splendidiorem, aut amplitudinem domesticam desiderarem, cùm Tua Illustrissima Domus, antiquitate generis, magnitudine rerum gestarum, Phœbi ad instar, ita resplenduit semper, vt quæ singula, cæteros singularibus ornare possunt prærogatiuis; ad augendam Tuam excelsam eminentiam, è benigno fortunæ, virtutisq; sinu, in Te videantur defluxisse vniuersa. Itaque non commemorentur à primordijs illi tres Celeberrimi Proceres,* VARAII *Fratres,* SIENIEVVS, TRVBOR, RVRICVS; *sufficient alij,* BASILIVS *ille Tuus,* THEODORI *filius, Magnorum Moschouiæ, Russiæ, Lithuaniæq; Ducum, Regalis Stirps, partiendo primus suas Ducales Dynastias amplissimas, cùm in Filium* IOANNEM, OSTROGIAM; *in* GEORGIVM *verò* ZASLAVIAM, *transfudisset, satis documenti dedit, quam basilicum contra barbariem præsidium Poloniæ constituisset. Nam quid ego* CONSTANTINOS *illos, (velut duo fulmina belli) Scipiones Sarmaticos, commemorem? qui pridem iam fastos æternitatis impleuerunt! Quid magnanimitatem* COSMI? *Quid iustitiam,* HELIÆ? *Quid* JANVSSII *Patrui Tui, Castellani Crac. probitatem, affabilitatem, pietatem, opes, fortunas, potentiam? Quid Aui, alterius* JOANNIS TARNOWSKI, *Castellani itidem Cracouień. Exercituum Ducis Generalis felicitatem, victricia Trophæa & Triumphos; alterius, Senatoris grauissimi, generositatem, constantiam, magnanimitatem, & dexteritatem? Quid* PATRIS TVI, *Heröis incomparabilis, Prudentiam, Religionem, Autoritatem, Munificentiam, Sexcentarumq; virtutum, centuplicem Harmoniam deprædicem? quorum gloria pridem,*

pridem,

pridem, immortalitatis Capitolium, ingressa, viuet, vigebitq; memoria omnium ætatum, quam omnis posteritas alet, quam ipsa æternitas intuebitur, & in quorum laudibus celebrandis, vt ad aspectum Magni Alexandri illius, omnis literaturæ Orpheus sudabit, nec loqui conticescet. Sed facilè hæc à me sileri, Illustrißime Princeps DOMINICE, *patieris; omnes omnium temporum & conditionum homines, ista Tua ornamenta & decora norûnt, quicunque Te norûnt. Non desistis hucusque Heroico cum illis Atauis certare animo; illas in finibus Patriæ tutandis tenes excubias, quarum fortissimi Maiores Tui rudimenta posuêre; illud vicinis & iuratis hostibus nostris (velut antemurale præsidium quoddam) hæreditarium Tuum dominium obiecisti, vt facilè quiuis intelligere possit, Te magnis Patriæ Atlantibus, non minorem Herculé, hac rerum tempestate variabili, Te nobis cælitùs datum. Tu Illustrissime Princeps, vix è ludo pueritiæ, ad tyrocinium Martis sanguinolenti egressus, propè miles prætextatus, incrementa militiæ in Patriæ finibus augebas, retinebas, & stipendiis Tuis conseruabas, vt fortunarum Tuarum prodigus, boni publici memor, Tui oblitus, ad formidolosa Reipublicæ tempora, Sospitator succurreres. Quocirca, eant Arcades ad Lunam, qui suæ gentis antiquitatem iactant; Aborigines, ab orbis origine suam deducant vetustatem; Attici, in eadem se terra, primùm natos glorientur, in qua adoleuerunt; Tua Illustrissime* PRINCEPS *Domus, supra Polonum se extulit orbem: an cum his Sarmatia nostra consurrexerit, an per hos, laborat Annalium fides? Ego certè, ingratitudinis omninò meas Camænas condemnarem, nisi Tuam illam, quam toties Viris nostris Academicis, & mihi, præstare soles humanitatem, meis muneribus remunerer. Et quemadmodum nuper feliciter inauguratum Palatinum Cracouiensem, optatissimis venerabamur applausibus, & faustis ominibus prosequebamur; sic in publica hac Gentis vtriusq; lætitia, quæ ob fœderatum Coniugium (non multò ante tempore) exorta est, propensissimis redonamus Hymenæis. Annuant Superi, faueat Cælum, largiatur omine & Numine propitio, Illustrissima de Gente* SOBIESCIA, *lectissima Melissa, in hac orbitate consolationem; vt vtriusque Familiæ, virtus incomparabilis, fama, magnanimitas, magnificentia, & rebus*

pace belloq; gestis, quæsita dudùm gloria, in mutuam perennitatem, conspirent. Et sicut vnio pretiosissimus, inclusus auro præstare solet, vt & mutuum det auro decus, & ab auro pariter accipiat; sic Vobis Illustrissimi NEOSPONSI *fausta omnia eueniant. Nos in Lycæo Cracouiensi, cuius tu Patronus singularis semper extitisti, ad fortunatum desideratissimi actus auspicium, vota votis accumulantes, ingeminamus perpetuò: Viue Illustrissime* PRINCEPS & PALATINE, *quàm fortunatissimè, & quàm diutissimè; Viue: Sis florens & beatus in his cæli, terræq; fauoribus; hæc vnanimes Athenæ nostræ, immò Panathenæ precantur; hæc vota ingeminant. Tu verò Illustrissime* PRINCEPS *perge, me Tuum clientem, ad obsequia promptissimum, Tua vt soles beneuolentia, fauore, promotione, complecti, exornare, & patrocinari. Datum Cracouiæ, 12. Aprilis, 1650.*

Illustrissimæ Celsitud. Tuæ

Seruus humillimus

M. Petrus Mucharski,
Medicinæ Doctor.

QVÆSTIO.

V. Peripneumonia ſit reſpiratio difficilis; cum Febre acuta: Dolore grauatiuo; Pulſu molli; Tuſſi; Rubore coccineo maxillarum; &c. dependens ab inflammatione Parenchymatis pulmonum; rectèque & energicè cum dogmaticis intentionibus, analyſi therapia, ex fonte Chirurgico, pharmaceutico, diætetico, ſanari poſſit, nec ne?

CONCLVSIO I.

Formaliter Peripneumonia, ſeu pulmonia, eſt reſpiratio difficilis, Orthopnoica, cum febre acuta, dolore grauatiuo, pulſu molli, rubedine maxillarum.

COROL-

COROLLARIA.

I. Peripneumonia est Symptoma in actione læsa, partim animali, partim naturali, partim vitali; partim mixta ex animali, & naturali.

II. Febris in Peripneumonia est per consensum, siuè per accidens; sed non essentialiter morbus.

III. Hæc febris includit in se celerem motum, & consequenter pericula, præsagio indicanda.

IV. Illi adiuncta est in copia necessitas maxima euentandi.

V. Sanguinis est etiã summa euaporatio, ad maxillas & caput, in Peripneumonia, quæ per cutis tenuitatem (veluti per vitrum) colorem alithinum ostendit. Gal: 3. de loc. aff. 3.

CONCLVSIO II.

Materialiter Peripneumonia est in parenchymate pulmonum.

COROLLARIA.

I. Parenchyma pulmonum interdum secundùm vtrumq; lobum; interdum secundùm alterum, afficitur.

II. Caro

II. *Caro pulmonum eſt propria, & ſpecifica (diſtincta ab aliis viſceribus) rara, tenera, ſpongioſa, in cuius cauitate aër attractus modicè retinetur, & rectificatur à ſuis prauis qualitatibus.* Gal.lib: de reſpir.

III. *Affecta membrana pulmonum ſubſtantiam inueſtiente, oritur impropria Peripneumonia.*

IV. *Pulmo ſecundùm vaſa, & arterias, ſecundariò afficitur.*

V. *Pulmo ad pleuritidem affectus, per ſympathiam laborat.*

CONCLVSIO III.

Efficienter Peripneumonia pendet ab inflammatione.

COROLLARIA.

I. *Peripneumonia eſt morbus compoſitus, ex intemperie, & aucta magnitudine.*

II. *Mediata huius affectionis causa, est sanguis, qui in pulmonibus coaceruatur, rariùs per Synathroismum, sæpiùs fit per Rheumatismum.*

III. *Sanguis hic peccat, & secundùm speciem, & secundùm vitium speciei.*

IV. *Ratione efficientis, potest esse hic morbus legitimus, & illegitimus.*

V. *Res non naturales, ut calidam intemperiem causare possunt, & materias augere huius morbi, remotiores sunt causæ.*

CONCLVSIO IV.

Instrumentaliter intentiones dogmaticæ habent locum in Peripneumonia.

COROLLARIA.

I. *Indicatio (quæ est agendorum insinuatio) hic conuenit, ut primum & principale instrumentum dogmaticorum.*

II. Indi-

II. *Indicatione curatoria primariò vtitur hic Medicus (cuius series infra in pharmacia proponetur) præseruatiua & vitali, secundariò.*

III. *Experientia & Analogismus in præsenti affectu, accidentaliter administratur.*

IV. *Symptomata nil indicant in Peripneumonia, ad causæ ablationem tolluntur.*

V. *Prognosis pertinet, ad præsidia curandi dicti morbi acuti; Acutorum autem morborum non sunt certæ pronunciationes salutis, aut mortis; & hi in quatuordecim diebus iudicantur.* 2. Aphor: 19. & 23. *Ideò materia turgente in valdè acutis, conuenit medicari eadem die, tardare enim malum est.* 4. Aphor: 10.

CONCLVSIO V.

Finaliter Peripneumonia curatur, Manu, Victu, Pharmacis.

CVRATIO CHIRVRGICA.

I. *Phlebotomia venæ basilicæ (vulgò pulmaticæ dictæ) benè instituitur ab initio, viribus saluis & integris, etiam ad animi deliquium.* Gal. lib: de Sang. missione. cap: 11. & 9. Meth: 4. & 1. Aphor: 23.

II. *In defluxu catarrhali à capite, vena Cephalica; in delirio ex vstilaginibus caput irruentibus, Frontis; in virium lapsu, saluatella, tundenda est.*

III. *Si quandò oritur ab Angina Peripneumonia, venæ, raninæ dictæ, (sub lingua existentes) sunt aperiendæ.*

IV. *Cucurbitulæ scarificatæ (vicariæ venæ sectionis) in debilitate virium habent hic locum; & non scarificatæ; præmißis leuibus frictionibus, applicabuntur regioni, Thoracis, Dorso, Scapulis, Brachijs, Lateribus, Lumbis, Fæmoribus, Cruribus, &c.*

V. Apertio

V. *Apertio Venarum ſedalium, in retento defectu hæmorrhoidali, optimè adminiſtratur hirudinibus (qui enim his venis perfluis laborant, Peripneumoniam non patiuntur.* (Gal. 3. in 6. Epidem. 37.) *in muliebri autem, venarum Saphenarum, internarum & externarum.*

CVRATIO PHARMACEVTICA ET DIÆTETICA.

I. *Abſoluitur intentionibus ſatisfaciendo, ideò intemperies calida & ſicca, alteranda per contraria; Materia fluens, reuellenda, & intercipienda; Fluxa, digerenda; Et per Epicraſim (cum cordis & partium afflictarum roboratione) euacuanda. Humores furioſi, variè peccantes, præparandi; Aperientibus, Incidentibus, Attenuantibus, Abſtergentibus.*

II. *Pulmo infarctus, Ecphracticis liberandus, per Eclegmata, Fotus, Linctus, Epithemata, Glan-*

des, Enemata, Cataplasmata, Lauacra, Ligaturas, &c.

III. *Alliotica seu alterantia, primas & secundas qualitates, cum expectorantibus sunt miscenda, vt decoctum pectorale, Lohoch, de Scilla, Pulmone vulp. Caulibus, Pineis, sanum & expert. Syrup. de Iuiubis, Farfara, Violis, Adianto, Erysimo, Papauere, Nymphæa, Limonib. Acetosit. Citri, Oxysach, Oxymel simplex, composit, scillit. Penidia, Saponea, Diacodion, Pilulæ de Cynoglosso, Bechicæ albæ, & nigræ, &c.*

IV. *Pro lenitione autem alui Eccoprotica, vsurpanda, Melrosat. sol. Syrupus Rosat. & Violat. sol. Manna Calabr. Flores Caßiæ, Tamarindi; quibus admiscenda, quæ à tota substantia pulmonem respiciunt, vt folia pulmonariæ, hyssopi, marubij, botrydis, scabiosæ, radix Helenij, Ireos, Glycyrrhizæ, &c.*

V. *Victus, aduersus materiæ inclementiam, & vitia, ex opposito pugnet. Hic sit attenuans, detergens,*

tergens, refrigerans, humectans; & quò acutior morbus, strictiùs diæta seruanda. Primis diebus, ptisanæ succus cum sacharo; Panatella cum Emuls. sem. melonum; deinde Cremor, & puls bromi, conuenit; Chondrus quoque ex aqua mulsa, cum amigd. dulc. Iride, Caricis, Myxis, Passulis, Dactylis, Pistaceis. Gal: 8. Meth: 4. *Pro Potu, Aqua hordei, cum aquis destillatis pulmonicis & diaphoreticis (quæ attenuando sanguinem influxum per halitum educunt) Somnus etiam prouocandus, per hypnotica externa & interna, humida, non autem narcotica. Et aliæ res non naturales dictæ, intentionibus seruientes, sint in vsu.*

FINIS.

DEO, GLORIA, & GRATIA.



REgia progenies Academia? quod tibi Stēma est?
Hæc ſunt, Regali, Sceptra petita, Throno.
Et cur iſta duo? Rex & Reſpublica, noſtras,
Certârunt iunctim, condecorare, manus.